

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGUSTO,

ELECT. SAXON. HAEREDE,  
DISSERTATIONEM IN AVGVRalem

DE

*Dape*

CARDIALGIA,

PRAESIDE

DN. PAVLO GOTTFR.  
SPERLING,

MED. DOCT. ANATOM. ATQVE BOTAN.  
PROF. PVBL. CELEBERRIMO, ET PRINCIPIS  
SERVESTANI ARCHIATRO  
GRAVISSIMO,


PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
RITE CONSEQVENDI,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT


IOH. FRIDERICVS ZEINER,  
PRACTICVS HALLENSIS,  
A. D. XI. IVL. MDCCIV.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI GERDESIL.



## PRAEFATIO.



Entriculus, qui ciborum confectionem adiuvat, et continuat, sanitatis pariter atque morborum limen est, ex quo, tanquam perenni fonte, dimanat, quicquid integrati partium, et conservandæ sanitati sufficit. Cum enim ille nutritionis, sine qua omnes corporis partes vacillant, rudimenta ponat, fiat necesse est, ut, si suo is fungatur officio, reliqua membra, quod suarum est partium, etiam promte et expedite agant, ac valetudo nostra bene habeat. Simul ac vero ventriculus levissima afficitur iniuria, et muneribus suis deesse incipit, omnes in homine actiones languent, earundemque instrumenta succumbunt, et quasi contristantur. Interduni quoque ab aliis partibus propter mutuum cum variis organis commercium,

in consensum abripitur, et in oeconomia  
animali gravissimas turbas et seditiones  
concitat, quae cum valetudini fraudi sunt,  
tum non raro perniciem interitumque ac-  
celerant, interdum vero a multis malis ho-  
minem vindicant. Videmus enim saepius,  
varias corporis partes, dum ad molestiam  
aliquam propulsandam insurgunt, simul  
stomachum in enormes ciere vomitiones,  
quibus corpus reliquum plerumque gra-  
vissime affligitur, aliquando vero ab hosti-  
um aliorum insultu incolumie praestatur.  
Adeo sapientissimi Numinis providentia  
cautum est, ut vitae salutisque turbatores in  
ipso veluti arcis limine nonnunquam op-  
primantur, &, qua data via, prorsus ex-  
pellantur. Quod nisi mature, seu a natu-  
ra, seu arte, peragatur, periculosissimi inde  
nascuntur morbi, qui tanto saepe impetu  
reliqua membra infestant, ac divexit, ut  
vitam cum morte commutare homines co-  
gantur. Hoc prae aliis nos docet *Het-*

*mon-*

montius, Tract. A sede animae ad morbos.  
Occurrunt nimis, scribit, diversi mor-  
bi, qui suam originem centraliter e stoma-  
cho desumunt, quorum ortus atque remedi-  
um infausto hactenus omni ignorantur.  
Sunt namque in concavo stomachi acidum,  
amarum, salsum, nidorosum, seu putri-  
dum, virulentum, insipidum etc. quae su-  
cepta in numerum vitalium, statim quo-  
que putrent, imo si mora accesserit, cadave-  
rosa evadunt. Quodsi igitur ex stoma-  
cho tot mala et calamitates scaturiant, quae  
valetudinem ipsamque vitam subinde e-  
vertunt, negotium ab instituto non alienum  
me suscepturn esse putavi, si prætermis-  
sis aliis, iisque fere innumeris morbis, e  
ventriculo ortum sumentibus, loco speci-  
minis inauguralis eum ventriculi affectum  
proponerem, qui Cardialgia dicitur, at-  
que ab orificio illius sinistro, quod Graeci  
*sóμαχον* ήγι *καρδίαν* vocant, nomen ha-  
bet, quod illuni affectum huic præcipue

orificio ventriculi imputabant, et eadem fe-  
re symptomata, quae cor ipsum affectum se-  
quuntur, non raro eundem comitari depre-  
hendebant. Nam hic affectus, quia crebro  
admodum occurrit, et magnas tam aegro,  
quam Medico molestias atque solicitudi-  
nes parit, accuratam prae aliis considera-  
tionem meretur. Deus autem Optimus  
Maximus huic laborem fortunet, ut exin-  
de in illum gloria, atque in aegrotantes  
multa commoda redundant.

*Tb. I.*

**R**EDE vero Cardialgia (ut statim a definitione  
exordiar, quo intelligatur, qualis sit mor-  
bus, de quo disputetur) dicitur dolor ven-  
triculi, et quidem potissimum illius orificiorum val-  
de sensibilium, plerumque cum magna circa praecordia  
angustia et anxietate, ac subinde quodam  
suffocationis metu et periculo coniunctus, quem  
deinde languor corporis ac virium diminutio, nec  
raro animi deliquia, aliaque mala sequuntur, a ro-  
fione et vellicatione fibrarum nervearum ventri-  
culi, vel eiusdem orificiorum, quorum quippe mo-  
do hoc, modo illud, aliquando vero utrumque si-  
mul, ita afficitur, ut totus etiam ventriculus com-  
patiatur.

*Tb.*

## *Th. II.*

Qui enim hoc laborant malo, hi quodam tristi doloris sensu afficiuntur in illa ventris infimi, siue abdominis regione, quae a medio hypochondriorum spatio, sub cartilagine mucronata, per hypochondrium sinistrum protenditur. Isque dolor vel sub scrobbiculo cordis persentitur, vel magis ad dorsum inclinat, aut ad hypochondrium vergit sinistrum, interdum vero universam epigastrum, et illius, quod modo dictum est, hypochondrii regionem, qua ventriculus continetur, occupat, nec raro partes quoque vicinas, corque ipsum in consensum trahit, et vel in uno loco fixam habet sedem, vel vagus est, et modo interius saltem percipitur, modo ad levissimum tactum augetur, et quandoque tumorem quendam in epigastrio coniunctum habet, interdum vero sine tumore variis modis affigit. Nam modo dolor iste mitior, modo vehementior est, tendens, gravans, comprimens, rodens, pungens, lacinans, et quodam nunc ardoris, nunc frigoris sensu molestus. Aliquando tantam infert anxietatem, ut eam satis exprimere aegrotantes nesciant, sed locum saltem affectum cum quietudine gemituque commonstrent, et de insigni praecordiorum angustia ac compressione, imminentique aliquando suffocationis periculo conquerantur. Quo rerum statu subinde pulsus quedam anomaliae in corde et arteriis fiunt, et vires valde oblangvent, ac totum corpus ita fatiscit, ut neque manus, neque pedes prae languore suum faciant

ciant officium, vultus palleat, interdum etiam multo sudore diffluat, et tandem animi deliquia incidunt. Imo solet idem dolor plura quoque alia symptomata, ac praesertim vomitiones, singultus et vertigines, coniuncta habere, et in quibusdam aegrotis diu durare et continuus esse, in aliis vero intermittere, et per intervalla, modo longiora, modo breviora, et temporibus statim ac certis, vel incertis redire.

### *Th. III.*

Haec si recte considerentur, clare constabit, partem affectam in cardialgia esse ventriculum, qui quippe in ea corporis regione, ubi dolor affligit, situs, sensu pollet exquisitissimo, propter struturam suam singularem, ac praecipue nervorum, quibus gaudet, multitudinem. Quodsi enim fabricam eius spectemus, ex tribus, vel potius quatuor tunicis artificiosissime coagmentatus est, quarum exterior membranacea est, et totam ventriculi substantiam obtegit. Secunda vero musculosa est, et fibris constat duplicitis ordinis, aliis nimirum exterioribus, circuli in modum ventriculum incingentibus, aliis interioribus, oblique excurrentibus, ut ventriculus secundum omnes partes contrahi possit. In hac praeterea tunica insignes fibrarum carnearum plexus, tam in orificio sinistro, quam dextro deprehenduntur, qui apte et concinne inter se innexi et irretiti, utraque orificio egregie muniunt, et quasi obvallant, ac in illorum constrictione mutuam sibi invicem operam praestant. Haec membra

brana quemadmodum ventriculo motum, ita ter-  
tia, nervea dicta, eidem sensum largitur, fibris va-  
rii generis contexta, quam vascula sanguinea ad  
substratas glandulas denso agmine perreptant, ut in  
illis lympha, solvendis cibis destinata, seceruntur, et  
in cavitatem intestinalum corrivetur. Hanc au-  
tem alia propter innumerabiles, ex quibus constat,  
villos, instar elegantissimi retis contextos, crusta vil-  
losa nuncupata, obtegit, et adversus partes acres et  
irritantes defendit, ne eam vellicent, et extimulent,  
ac gravia symptomata concitent. Veteres pro ma-  
teria quadam mucosa et glutinosa eandem habue-  
runt, sed falso; nam contextus quidam est vasculo-  
sus, sub quo latent innumerabiles minimae glandulae,  
ex quibus humores stillant, qui ciborum solutio-  
nem adiuvare solent. Atque hae glandulae lym-  
pham suam ab arteriis hauriunt, quas ventriculus a  
ramis arteriae coeliaceae, tam dextro, quam sinistro,  
una cum venis copiosissimas possidet, ut eo melius  
muneri suo praeesse possit.

## *Th. IV.*

Neque vero minus ventriculus insigni nervo-  
rum multitudine gaudet, tam a pari octavo, sive  
vago, quam plexibus abdominis prognatorum. Il-  
lorum uterque truncus, sparsis propaginibus qui-  
busdam in cor, pulmones, partesque quasdam alias,  
iuxta oesophagi latera deorsum progrediens, duos  
constituit ramos, interiorem, et exteriores, quo-  
rum ille iuxta externam sinistri orificii partem in-

B

cedit,

cedit, et fundum ventriculi ambit; hic vero supernam illius partem perambulat, et utriusque demum mutuo inter se implexi et colligati, plexum nerveum insignem in utroque orificio, potissimum vero sinistro, pariunt, et cum his, tum toti ventriculo exquisitissimum sensum conciliant.

*Tb. V.*

Cum ergo ventriculus tanta nervorum copia sit ornatus, et tunica eius nervea, vasa sanguinea, densissima serie eandem perreptantia, suffulciens, ad sensum tactus exactissimum faciat, id quidem facile intelligitur, dolorem in Cardialgia non in sinistro tantum illius orificio, ut voluerunt veteres, sed etiam in dextro, sive pyloro, & toto quodammodo ventriculo consistere posse. Id enim ex variis signis, ac praesertim ex situ doloris cognoscitur, qui in quibusdam sub mucronata sterni cartilagine, in fovea cordis, ut appellant, percipitur, in aliis vero circa dorsum se magis prodit, aliquando etiam in tota ventriculi regione se manifestat, atque ab aliis ventriculi affectibus nullo negotio distingui potest. Ut proinde minus facere possim cum celeberrimo Anatomico, Joh. Veslingio, quando Cardialgiam sinistro ventriculi orificio frustra imputari opinatur, et ita scribit in *Syntagma Anatom. cap. 3. pag. 27.* Atque hoc quidem (orificium dextrum, seu inferius) medio hypochondriorum spatio, quo loco in dorsum nonnihil sinuata mucronata pectoris cartialgo, cavum pectori anterius subiicit, quod foveam cordis

cordis vulgus nuncupat. Hic frequentes ventriculi do-  
lores occurrunt, quos superiori eius orificio, sive stomacho  
frustra imputamus. Oriuntur illi ab acribus, corruptis-  
que vel cibis, vel excrementis circa pylori angustias ob-  
haerentibus, aut e cysti fellea buc projectis. Quibus  
non exiguum molestiarum partem addunt pancreatis  
propius pyloro coniuncti variae affectiones, nec non mu-  
cronatae sterni cartilaginis vitia, sive introrsum mu-  
cronem detorqueat, sive extrorsum eundem protollat.

## Tb. VI.

Causa proxima est rosio et vellicatio, sive ir-  
ritatio, tunicas ventriculi, inprimisque nerveam,  
ita impetens et laceiens, ut inde spasmi illius visce-  
ris et dolores varii oriuntur. Prout enim irrita-  
tio illa variat, et fortior est, vel debilior, atque  
hanc vel illam ventriculi partem impedit, etiam do-  
lores magis vel minus vehementes et atroces fiunt.  
Hique vel anterius, et iuxta scrobiculum cordis  
consistunt, ubi pylorus affligitur, vel magis ad  
dorsum et spinam, ubi orificium sinistrum dia-  
phragma perforat, divexit, si orificium illud  
causam mali foveat, vel hypochondrium in primis  
sinistrum, quorum fundus ventriculi protenditur,  
male afficiunt, si ille stimulum inherentem sibi ha-  
beat. Aliquando etiam malum latius evagatur, et  
non tantum totam ventriculi regionem occupat,  
sed etiam partes vicinas, ac praesertim gulam, dia-  
phragma, et hypochondrium quoque dextrum in  
consensum trahit: Vnde insignes hypochondrio-

rum tensiones, singultus, spirandi difficultates, vomitus, variae appetitus et chylificationis laesiones, malaque alia proficiscuntur. Neque raro eidem molestiae cor consentit, et quandam pulsus anomaliam, ac corporis totius angores parit, qui eo maiora capiunt incrementa, quo acutiores sunt dolores, et quies somnusque rarius, ac appetitus magis magisque violatur et prosternitur. Hinc enim succi nutritii deficere, ac membra tabe laborare incipiunt, ac vires magis infringuntur; pallor que faciem invadit, atque tremores artuum sequuntur. Cum enim tam per glandulas et poros cutis, quam excretoria alia, magnam quotidie humorum copiam e corpore amittamus, fieri aliter non potest, quin machina corporea, si nulla illorum instauratio contingat, tandem fatiscat, et languere ac viribus destitui incipiat. Ex sanguine enim partes nutrimentum hauriunt, qui si bonus est et integer, ac succis alilibus refertus, recte corpus alitur, et vires sibi constant, quae tamen facile deficiunt, sanguine in vappam abeunte, et suo alimento privato, vel alio modo vitiato et corrupto. Subinde quoque ventriculus subvertitur, et assumta reiiciuntur, quatenus irritatus ventriculus, spasmodicas contractiones concipit, et coarctato in primis fundo orificium versus finistrum, qua data via contenta per gulum expellit. Adebet etiam anxietas praecordiorum, a tensione ventriculi, et quia partes eius nerveae, et musculosae, ac praesertim oricia acriter stimulata, in spasmos abeunt, et in partem

societatis praeter diaphragma, tam ramulos nervorum, in cor sparsorum, quam pneumaticos, et alios asфиксunt, qui illas partes crispando et constringendo, coarctant partim organa spiritalia, diffinemque spiritum pariunt, partim motum cordis pervertunt et sufflaminant, indeque animi deliquia et suffocationis periculum inducunt. Ut de symptomatibus aliis nihil commemorem, quae quippe cuncta ab eadem causa proficiscuntur, ac facili negotio explicari possunt.

## Tb. VII.

Ista vero rosio atque irritatio ventriculi a causis modo internis, modo externis proficiscitur. Ad has eibi in primis et potus, cum quantitate, tum qualitate, motuque molesti, ut et medicamenta inconvenientia, tam evacuantia, quam alterantia, ut de nimio balsami sulphuris usu observavit D. Kölichen apud Bonetum Med. Sept. coll. p. 1. libr. 3. cap. 4. nec non venena ex arsenico, mercurio sublimato &c. aliaque improvide assumta, uti sunt lapilli, aciculae, corium, aliaeque res duriores, vel ipsa animalia viva intus admissa, pertinent. His enim causis omnibus ventriculum misere torqueri et angiposse, observationes quotidianae docent, et notius est, quam ut exponi debeat. Ac saepe quidem res forinfecus ad ventriculum delatae diu fatis in ventriculo haerent, et graves continuosque illius dolores pariunt, non cessantes ante, quam res ipsae

improvise admissae eiectae fuerint. Cuius rei notabile exemplum legimus apud *Guil. Fabricium Hildanum obs. 33. cent. 4.* de matrona quadam, quae, cum ultra annos duos de dolore ventriculi conquesa fuisset, nec ullis remediis, ventriculum roborantibus, aut per inferiora purgantibus, sanari potuisset: tandemque ex consilio Medici cuiusdam vomitorium accepisset, frustum corii lardi fumo exsiccati, quod ante duos annos inopinanter cum difficultate tamen diglutiuerat, maxima cum admiratione adstantium evomuit, et brevi plenissime convalescit. De cardialgia a frusto tendinis bovilli notatu etiam dignam observationem annotatam reliquit *Henricus Smetius Miscell. Medic. lib. 10.* Quantamque vim in producendo eodem malo vermes habeant, inter alios expertus est rusticus ille apud laudatum *Bonetum loc. cit.* qui operi suo intentus, subito in cardialgiā incidit, qua tamen superveniente mox vomitu, et reiectis 200. vermis lanuginosis, viventibusque, liberatus, diu incolumis vixit.

## *Th. VIII.*

Ex causis internis sunt humores vitiosi, in ventriculo geniti, vel ad eundem ex intestinis, aut aliis partibus lege circulationis missi; quas ob causas multis morbis aliis, ac in primis febribus, cum intermittentibus, tum continuis, ac praesertim malignis, affectibus item hypochondriacis, atque hysteri-

stericis, vomitionibus, cholerae, dysenteriae, alvi-  
que obstructioni, familiares admodum cardialgiae  
esse solent, cuius quippe effectrix prava humorum  
acrium, acidorum, nidorosorum, et viscidorum col-  
luvies plerumque existit, et magnas cum in ipso  
ventriculo, tum toto corpore tragedias excitat.  
Eodem referendi flatus, qui stomacho inclusi, cum  
acrimonia varia, tum vi elastica, idem genus ma-  
li saepissime inferunt. Neque raro illud pariunt  
scirrhi, inflammations, abscessus et ulcera, cum  
ventriculi, tum partium adiacentium, praecipue  
omenti, pancreatis, lienis et hepatis. Quemad-  
modum ea, quae post mortem in sectis hoc malo  
defunctorum cadaveribus reperta fuerunt, testan-  
tur. Ita *Lazarus Riverius* in aurifabro quodam  
Monspeliensi cardialgiam acerbissimam, eamque  
continuam, observavit, qua etiam ad summam ma-  
ciem, et ipsam tandem mortem deductus fuit: In  
cuius corpore dissecto ingens scirrhus inventus est,  
totum pancreas et partem mesenterii occupans, ac  
pylorum extremamque ventriculi partem, pyloro  
continuam, attingens. *Cap. i. observ. 90.* Sic etiam  
apud *Bonetum loc. cit.* lien maxime corruptus, et  
carcinomate exesus, eiusdem mali auctor depre-  
hensus fuit. Nec raro hepatis lobus, ventriculo  
incumbens, et inflammatione, vel alia labe infectus,  
idem malum peperit, sano et insonte existente ven-  
triculo. Saepius autem ipso in ventriculo inflam-  
mations, abscessus et tuberculæ extitere, quæ car-  
dialgiam produxerunt, de quibus conf. *Fortis cent.*

2. Con-

2. Consult. 6. *Zacutus Lusitanus* prax. admir. lib. 3. Obs.  
23. *Fonseca* Tom. I. cons.

## Tb. IX.

De motibus animi et corporis minus convenientibus non est, quod multa in medium affera-  
mus, cum notum satis sit, quantam illi vim ac pote-  
statem habeant, in alterandis et corrumpendis  
succis corporis, vel moyendis iisdem, ut varios in  
partibus variis dolores, et hunc praecipue, de quo  
agimus, in ventriculo pariant. Qua ratione car-  
dialgiam ex tristitia et moerore animi obortam  
commemorant *Platerus* lib. 2. observ. *Rondeletius* in  
*Pr. et Bonetus* loc. cit. Ut de ira, et terrore, atque aliis  
animi ac corporis commotionibus nihil addam, de  
quibus plura exempla apud scriptores Medicos oc-  
currunt, qui huic rei fidem faciunt, et rem per se  
claram illustrant, et confirmant. Illud tamen hic  
non est praetermittendum, a depressa quoque pro-  
lapsaque cartilagine mucronata aliquando cardial-  
giam oriri. Quemadmodum id laudatus *Veslingius*  
I. c. et *Guilielmus Piso de Med. Brasil.* L. II. c. 6. aliique  
annotarunt.

## Tb. X.

Neque vero opus esse putamus, ut de Signis  
Diagnosticis cardialgiae multa hic tradamus, cum  
ea supra in historia fatis a nobis sint adducta. Ne-  
que

que etiam possibile est, ut in genere hic omnia causarum signa distincte proponantur, cum, ut in antecedentibus ostendimus, variae admodum et diversae eiusdem mali causae esse soleant. Oportet igitur Medicum non solum diligenter inquirere in causas procatareticas, sed etiam varias circumstan- tias, ac praesertim naturam et constitutionem aegri, affectusque omnes, cum antecedentes, tum praesentes, quibus cardialgiae coniungi solent, ac demum excreta quoque, sive sint flatus, sive hu- mores, diligenter observare. Sic enim, etiamsi initio nulla adsit manifesta causa, indagando ulte- rius pervenire tandem ad veram causam poterit.

## *Th. XI.*

De Prognosi vero notari interest, cardialgiam pro varietate graduum doloris, et causarum, ac coniuctorum symptomatum, magis vel minus periculosa esse. Saepe supervenientes ructus, vel vomitus, eandem facile solvunt. Sed ubi ita laboran- tes neque vomunt, neque flatus reddunt, sed anxie semet huc illuc iactant, atque exquisitos dolores habent, illi ancipiti premuntur periculo. Quor- sum respiciens *Hippocrates in Coac. Praenot. IV.* scri- bit: *Qui anxie se iactantes exacerbantur citra vomitu- tum, male habent.* Peiore autem in loco res aegro- tantium locatæ sunt, si febris iuncta est cardialgiae, ut idem annotavit *Senex divinus S. IV. Aph. 65.* *In febribus si circa ventrem aestus et stomachi morsus,*

C

ma-

*malum.* Quod de febribus in primis acutis et malignis intelligendum est, quibus ob impactos ventriculo acres et virulentos humores, vel eius inflammations, cardialgiae frequentes accidunt, quae si singultus et animi deliquia, ac partium extremarum frigus accedant, exitiosae esse solent.

## Tb. XII.

In Curatione cardialgiae causarum, eandem inducentium, ratio habenda, omneque studium adhibendum est, ut urgens in primis dolor, quam primum fieri potest, tollatur. Ac primo quidem si a rebus assumtis, vel collectis in ventriculo cruditatibus, malum pendeat, nihilque impedit, praemissis, si opus fuerit, praeparantibus, emeticis convenientibus educendum est, quicquid ventriculum divexat. Ita *Platerus*, reddita per vomitum materia, cardialgiam, quae diu affixerat, sanavit. *Obs. LII. p. 438.* Sic etiam *Hildanus*, ut supra commemoravimus, mulierem, quae per duos annos, et quod excurrit, hoc morbo laboravit, cum nullis aliis remediis sanari potuisset, propinato emetico sanitati restituit, quo frustum corii fumo exsiccati, quod ante duos annos improvide deglutierat, evomuit. Quibus etiam consentit *Rulandus*, qui multos hoc malo detentos, cognita prius causa, vomitione in pristinum restituit. *Cent. IV. Curat. 50.* Et *Hippocrates* assensu suo idem comprobat: *Eum, inquiens, qui non fe-*

febricitat, cibi fastidium, morsus oris ventriculi, vertigo et oris amaritudo, purgatione indigere per superiora indicant. S. IV. Aph. 17.

## Th. XIII.

Ita quidem se res habet cum vomitu, ubi cardialgia sine febri affigit. Sin adsit febris, praesertim maligna, et inflammatio ac erysipelas ventriculum occupet, prorsus a vomitu abstinere debemus; hic enim dolorem exasperabit, mortemque inferet. Quo casu magis expedit humorum acrimoniam et impetum temperare, quam evacuationem per os instituere. Quod si tamen febris cardialgiā sine inflammatione comitetur, eaque ab humoribus ventriculi cavum occupantibus existat, et vires sufficient, et nihil sit, quod hoc evacuandi genus prohibeat, per remedia mitia et congrua vomitu expellenda est materia molesta. Sic enim etiam experientia comprehendit, a spontaneis vomitionibus magnum levamentum in hoc malo detentos redundasse, malumque ipsum non raro penitus solutum fuisse. Ita hausta quoque venena, arsenicum, mercurius sublimatus, et similia, ut et medicamenta acria, quamdiu in ventriculo substiterint, vomitione egeri poterunt: Sed ea ope diluentium, pingvium et oleoforum, quae spicula irritantia et erodentia involvunt, inviscant, et impediunt, quo minus amplius stimulare possint, magna copia potorum, est procuranda, quibus commode

absorbentia et temperantia, ex crystallo mont. oleo tartari per deliquum, et eius generis alia permiscentur. Aliquando etiam conduceat per alvum medicamentis laxantibus et clysmis mineram mali subduci, si nempe intestina crudis corruptisque humoribus scateant, et halitus ad stomachum mittant.

## *Tb. XIV.*

Plurimum autem medicamenta alterantia et absorbentia conferunt, si pravi succi ventriculum occupant, quo vel facilius educi iidem, si opus fuerit, vel ita immutari et corrigi possint, ut ventriculum amplius infestare nequeant. Sed quia succi illi non unius esse indolis solent, convenientia quibusvis remedia conquirenda erunt. Nam alia humores falsi, alia acidi, alia nidorosi, alia tenaces, compacti et viscidi, alia alii requirunt. Ut plurimum proficui erunt pulveres ex cornu cervi, ebo re, dente equi marini, unicornu mar. et fossili, coralliis, lapid. cancror. matre perlar. crystallo, conchis praep. osibus sepiiæ, succino, terra sigill. bolo Armen. creta, antimon. diaph. simpl. et martiali, bezoard. minerali, martiali, antiheat. Poterii, et cinnabari nativa, vel antimonii. Saepe etiam conducent salia acria, sive alcalia, et falsa, fixa et volatilia, simplicia, et oleosa, ut et amara, aromatica, discutientia, carminativa, ac praesertim castoreata, et aliquando etiam etiam acida, in primis temperata

ta ac dulcia reddita. Si haec minus sufficerint,  
interdum adeundi fontes medicati, thermae, vel  
acidulae.

## *Th. XV.*

Ex eorundem remediorum classe peti possunt  
subsidia, si ventriculus a fiatibus doleat, modo ma-  
teria, quae ipsos fovet, praeparetur et evacuetur,  
ac deinde illi nunc mitioribus, nunc valentioribus, di-  
scutiantur, nec, ubi copia flatuum et impetus ven-  
triculum distendit, viscerumque adest fervor, re-  
mediis calidioribus et volatilibus largius exhibitis  
vis eorum malique ipsius augeatur. Id vero feli-  
cius avertet et curabit, qui medimentis anodynisi,  
ac praesertim opiatiss, recte uti, eademque cum  
aliis utilibus remedii commiscere norit. Quod si  
dolor exasperetur, nullasque det inducias, sed gra-  
vius aegrotantem divexet, unam fere illorum opem  
implorare cogimur. Et quantum levamenti sola  
aliquando theriaca, vel laudanum opiatum, aut hy-  
stericum, siccum, vel liquidum, convenientibus  
aliis additum, afferre soleat, in vulgus notum est.

## *Th. XVI.*

Ceterum accurata omnium reliquarum causa-  
rum, et morborum, quibus cardialgia excitatur,  
vel fovetur, ratio habenda, ut recte currentur. Iis  
quippe penitus ablatis, haec quoque facile cedet,

saepe autem cum iisdem perseverabit, et magis confirmabitur. Quodsi enim ea a vermibus ortum ducat, haerentibus in stomacho, eumque rodentibus et vellicantibus, unde exquisitissimi dolores nasci solent, vermes primum, quoad id fieri poterit, necandi, amaris, mercurialibus et anthelminticis aliis, et deinde per vomitum, vel secessum, exturbandi sunt, ne computrefacti, damna valetudini inferant, et alia periculosa mala procreent. In cardialgia a devoratis vitri fragmentis commendant *Keckermannus* et *Helidaeus* pulmentum ex frumento Saracenico et terebinthina confectum. Conducit etiam terebinthina sola, ut et pulpa ex milio et oryza, eaque spissa, et sine potu sumta. Si a cartilaginis sterni mucrone depresso, introque verso, malum pendeat, cucurbitula conducet, apte cum multa flamma loco depresso imposita, ut retro extrorsumque ductus mucro ad situm pristinum et naturalem redeat, et premere stomachum atque lacessere amplius nequeat. Ita porro, si ulcus ventriculum occupet, illud recte absterendum, et deinde consolidandum est. In inflammatione ventriculi utilis perquam erit venae sectio. Quumque febres malignas comitatur cardialgia, si minus emeticis tolli posfit, absorbentibus, diaphoreticis, bezoardicis et alexipharmacis tollitur. Quae vero organicis vicinarum partium vitiis foveatur, aegrius poterit sanari.

*Th. XVII.*

## *Tb. XVII.*

In omni denique casu Topica convenient,  
praecipue discutientia atque anodyna, quae cum et  
stimulum fstant, et loco moveant, ac disspellant, et  
fibras tensas ac convulsas relaxent, porosque ac vias  
aperiant, et motum humorum ac circulum vitalem  
promoveant, plurimum allevare solent. Sed recta  
etiam vietus vivendique ratio adhibenda, si  
cito et feliciter malo defungi  
velimus.

*S. D. G.*



